



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvgensis Ecclesiæ, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniæ Agrippinæ, 1657

Qui admittendi. 2

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

*Ex Conc.
Agat. c. de
sacri. 23.
diffinit.*

nachabus aut Lectoribus , etiam sacra vasā vel sacratas pallas contingere , vel incensum circa Altare præferre licuerit , verum id solis Diaconis permisum sit , expressim autem Laicis vetitum, ne pallas, Ecclesiæ vela, ac Altaris ornamenta abluant. Neque Patres h̄ic Scripturis destituuntur. Iam verò eō ventum est , ut quatuor illi minores Ordines , nempe Ostiarii, Exorcistæ, Psalmistæ ac Lectores, non temere ab Ecclesia instituti ac recepti , præter nomen nihil in Ecclesia retinuerint , illorumque loco tenues aliquot homines Laici , qui per Ecclesiæ prælatos , minoris compendii gratia , subrogantur , illorum Officiis fefeingerant, idque indecora ; quippe nullo penitus

Clericali habitu amicti; inter quos sunt , quos appellamus Campanarios , quos ad minimum (cereis accendendis aliisque in Choro ministratiōnibus intentos) deceret superpelliceis indui. Ne interim prætereamus , ablutionem pallarum , vestimentorumque Altarium, breviter , sacerdorum custodiam , talibus per Custodes seu Thesaurarios nostri temporis committi , quos , hæc contingentes , antiquitas nefarii criminis simul cum surrogantibus damnasset : quare cautius posthac agendum , ne ob talem præsumptionem Dominus iratus , plagam populo , qua simul innocens cum nocente involvatur , immittat.

P A R S Q V A R T A .

C A P . I. *De Parochis , ac eorum Vicariis , aliisque verbi ministris.*

PItulus hic , cum generalis sit , in plerosque alios icinditur. Primum enim , videndum est , qui ad verbi ministerium & regimen Ecclesiarum admittendi sint : deinde , de vita ac moribus eorum: post , de officio ; quod in duobus potissimum situm est , dissemination verbi , & administratione Sacramentorum : postremo , de ipsorum vietu. de quibus speciatim despiciemus. Ante omnia tamen Lectorem admonitus esse volumus , hos esse locos , quos Ecclesiarum iubar divus Paulus in Epistolis ad Timotheum ac Titum accuratissime tractat. Nam huc illi potissimum spectant , ut sciant Timotheus ac Titus , quomodo oporteat eos in domo Dei conversari , quæ est Ecclesia Dei viventis ; nisi quod articulus administrationis Sacramentorum , & qui de vietu est , alibi fusius explicantur. Porro , cum hæc Paulinæ epistolæ mere aureæ sint , & nulli non Parochi cogniti imprimis necessariæ; idcirco ad verbum ediscendæ , memoriae mandandæ , ac opere complendæ erunt. Ex quibus & aliis Euangelicis Apostolicisque scripturis ac Patrum iunctionibus , Nos quædam decerpemus ; quo dilucidius fiat , in quibus haec tenus magno cum Reipub. detimento peccatum , & quid de cætero Parochis facto opus sit.

C A P . II. *Qui admittendi.*

QVum Christus Iesus , Pastor ille bonus , ac Pastorum Princeps , qui posuit animam suam pro ovibus suis , circuaret omnes Civitates & Castella , docens in Synagogis eorum & prædicans Euangelium regni , & curans omnem languorem & omnem infirmitatem :

quum , inquam , is , qui venit requirere & servare quod perierat , vidisset turbas , miseritus est eis , quia erant vexati & jacentes sicut oves , non habentes pastorem; dicebatque discipulis suis : Messis quidem multa , operari autem pauci ; rogate ergo Dominum messis , ut mittat operarios in messem suam.

*Marc. 6.
Lucas 10.*

C A P . III. *Orandus Deus , ut mittat operarios in messem suam.*

NVm , quæso , putamus , necdum tempore stivum esse , interpellare Dominum messis , ut mittat operarios in messem , ac Pastores , non quolibet , sed secundum cor suum , nimirum ovibus miserè dissipatis ac balantibus requirendis ? Quis , nisi in media luce cæcus , non perfertilcat , nos in ea pericolosissima tempora incidisse , in quibus prædictiones Christi , & Apostolorum scripturæ , omnino atque omni ex parte complentur ? Quis enim non videt , venisse irrepsisseque , numerosa admodum caterva , ad nos , fallos illos Prophetas in vestimentis ovium , qui sunt intrinsecus lupi rapaces , qui non introierint per ostium in ovile ovium , sed ascenderint aliunde , fures ac latrones ? Non enim venerunt , nisi ut furentur & mactent & perdant ; quos videntes mercenarii , & qui non sunt Pastores , venientes , fugiunt & dimittunt oves ; & lupi rapiunt & dispergunt eas. Fugit enim mercenarius , quia mercenarius est , & non pertinet ad eum de ovibus. Poterant direptores isti sub exuvio ovino aliquandiu delitefcere , nisi Christus eos prodidisset ; Ex fructibus , inquiens , eorum cognoscetis eos ; quod non possit arbor bona fructus malos facere , nec arbor mala fructus bonos. Ex fructu enim suo unaquæque arbor cognoscitur.

Matth. 7.

Ioan. 10.

C A P . IV.